

TRACTATUS II.

DE REGULA EXTERNÂ HUMANARUM ACTIONUM,
SEU DE LEGE.

CAPUT I.

De lege, & obligatione Legis in genere.

1. *Quæst. 1.* Quid est lex, & quo modo differt a præcepto? R. lex est ordinatio Superioris stabilis, & perpetua ad bonum commune societati, seu Communitati imposita. Hinc lex convenit cum præcepto, quia est legitimi Superioris ordinatio, subditos pariter obligans, in quo utrumque differt a consilio, ex se dirigente alios, sed non obligante. Lex autem differt a præcepto, quia lex necessario fertur a persona publica in bonum Communitatis, & natura sua debet esse perpetua; non ita præceptum, quod expirat morte præcipientis, & fieri potest a persona privata: unde omnis lex est præceptum, sed non omnè præceptum est lex.

2. *Quæst. 2.* An lex obliget; si non sit promulgata? Nego cum S. Thoma l. 2. q. 90., & Theologis omnibus. Promulgatio necessaria est (inquit Aug.) ut *lex habeat suam virtutem* Et in c. in istis dist. 4. habetur: *leges tunc constitui, cum promulgantur.* Ratio est; quia cum lex instituta sit ad bonum Communitatis, debet ad ejus notitiam pervenire, ut obligationem inducat. Nec satis est, ut denuntietur personis par-

ticularibus, nisi solemniter, & more promulgetur.

3. *Quæst. 3.* An ut leges Papæ, & aliorum Principum subditos obligent, debeant in singulis Provinciis publicari? Affirmant multi, & graves DD. quos inter Natalis Alex. Continuator Tornelli, Cabassutius; videtur enim esse nimis durum, subditos obstringere ad servandas leges, Romæ tantum, vel in Curia promulgatas. Atque ita colligitur ex auctent. *Ut factæ novæ*, ubi dicitur, Ecclesiam Jus Civile servare, nisi aliter speciatim instituat. Sed auctores hujus sententiæ diserte excipiunt leges in Bullario insertas, quoniam hæc sunt certe Jus Canonicum. Alia sententia communior, & probabilior docet, leges Papæ fideles obligare, sola promulgatione Romæ peracta. Suarez, Vazquez, Azor, Navarrus, & alii permulti. Ratio autem est, quia licet promulgatio legis necessaria omnino sit, ut lex obliget; modus tamen promulgationis ab arbitrio, & mente pendet Legislatoris: modo talis sit; ut ad notitiam subditorum pervenire possit. Jam vero Romanæ Ecclesiæ consuetudo fert, ut Bullæ Romæ solum publicentur; & juxta leges ibi promulgatas lites, & causæ Ecclesiasticæ definiantur. Imo in iis Bullis ea clausula apponi solet: ut Apostolicis litteris more solito publicatis eadem fides adhibeatur, & observantia, ac si unicuique fuerint adhibitæ, vel ostensæ. Ergo Pontifex vult obligare ad legum observantiam eos omnes, ad quos Romanæ publicationis notitia pervenerit. Quod si aliquando R. Pontifex non vult, aliquam legem vim habe-

re in Provinciis, ubi non est solemniter denuntiata, solet id ipsum exprimere; ut expressit in decreto Conc. IV. Lat. Medicos interdicto puniente, qui infirmis assistant ante peractam Confessionem; & in decreto Trid. de nullitate matrimonii clandestini. De cetero non est dubitandum, quin Papa possit adstringere fideles ad observandas suas leges per solam promulgationem Romæ factam, eadem ratione, qua potest quilibet alius princeps obligare sua regna ad observantiam legis, in Curia solum promulgatæ. Quo pacto autem re ipsa obligent leges Civiles per promulgationem, decernendum est ex consuetudine Provinciarum.

4. Si vero rogent, quodnam temporis spatium excidere oporteat a promulgatione, ut lex obligare incipiat? R. cum communi, & probabiliori sententia, nisi in lege ipsa tempus ad obligandum definiatur, neminem lege adstringi, nisi post duos menses a promulgatione transactos, quibus elapsis, omnes censetur obligari. Ratio est, quia lex non obligat, nisi notitia ipsius ad omnes moraliter perveniat, ut eruitur ex l. *leges c. de legibus*. Hoc autem postulat tempus arbitrio prudentium statuendum, quale censetur spatium bimestre ex auct. *Ut factæ*. Intellige, nisi tempus ab lege sit definitum, aut regiones sint adeo remotæ, ut ad eas non possit intra illud spatium notitia legum pervenire, ut trasmarinæ in America, Asia, cet.

5. Hinc tamen nota ex Suarez: leges Pontificiæ, quæ infirmant aliquem contractum, natura sua validum, aut jurisdictionem auferunt,

possunt benigne explicari, ita ut non censeatur mens esse Pontificis, velle ipsas obligare, nisi in Provinciis promulgentur: alioquin ipsæ redunderent in detrimentum plurimorum, qui illas invincibiliter ignorarent. Secus se res habet in legibus, quæ statuunt pœnas in Clericos male ordinatos, & Episcopos male ordinantes; item, in legibus irritantibus aliquem contractum ex defectu solemnitatis, quæ postquam obligandi vim habuerunt, etiam ignorantes obligant.

6. *Quæst. 4.* An in dubio, quod lex existat, lex obliget? R. negative, post adhibitam nempe sufficientem diligentiam ad inquirendam veritatem, secluso scandalo, vel alio quovis gravi detrimento, aut incommodo. Ita Suarez, & communiter TT. cum S. Thoma tum locis supra citatis, ubi de opinione probabili, tum in 4. dist. 15. q. 2. art. 4. ad 1. & 9. *quamobrem possidet homo libertatem ad agendum quicquid vult, quod non constet, a lege sibi vetitum* Et D. Anton. p. 2. tit. 1. c. 11. ait, bene excusari ignorantiam, utpote invincibilem, quantum ad ea, quæ non sunt expresse contra *Jus Divinum, vel naturale*. Hinc Bened. XIV. merito scripsit: *non debent apponi ligamina, ubi lex clara non imponat. Notif. 13.* Atque idem dicendum, cum dubitatur, an aliquid sub lege comprehendatur, sive an lex ad illud se extendat; possidet enim libertas; uti etiam in dubio, an incoeperit legis obligatio; secus in dubio, an obligatio desierit, lex enim est in possessione.

7. Quid vero in dubio, an causa tibi sit sufficiens, ut lege excuseris? R. verius est, te

lege teneri, quia tunc possidet lex antecedens tuam libertatem. Quid in dubio, an lex sit promulgata? Non obligare, docent, multi; excipit tamen La-Croix; si lex fuerit jam usu recepta.

8. *Quæst. 5.* An lex obliget, cum dubitatur, sitne usu recepta? Negant aliqui de lege pœnali; alii de lege quacumque. Sunt qui dicant, obligare legem Ecclesiasticam, non vero civilem. Nostra tamen sententia est, legem omnem obligare in dubio, an sit acceptata: *Palaius*, *Sanchez*, *Salmant.*, alii, quorum est ratio; quia cum constet de lege, pro ea stat possessio; regula enim generalis est, ut factum præsumatur, quod ex jure faciendum erat: ergo præsumi debet legis acceptatio, nisi contrarium constet. Imò lex ut obliget, postquam lata est, & promulgata, non indiget acceptatione, ut graves AA. docent: saltem, ut ait La-Croix, lex modo non sit abrogata, ante acceptationem jam habet vim obligandi: unde licet quis non peccet contra legem, si lex non sit recepta, peccat tamen; legem non acceptans, ut postea dicemus.

9. *Quæst. 6.* Quid, si dubites, an superior sit legitimus? aut suamne excedat potestatem? R. ad 1. affirm. si superior sit in pacifica possessione jurisdictionis, ac potestatis; quia possessio stat pro superiore, & melior est conditio possidentis jus præcipiendi. Affirmo quoque in 2. subditum debere obtemperare, saltem nisi res, quæ præcipiatur, grave detrimentum afferat, ut limitant Soto, & Salmant., aut nisi nimium molesta fuerit, ac difficilis. Eodem modo diffe-

rendum est in dubio de justitia legis. Quid vero, si dubium sit, an lex præcipiat, vel suadeat? an obliget sub mortali, vel sub veniali? R. tunc legem aut non obligare, aut non obligare sub mortali ex reg. juris 59. ff. de reg. juris: *semper in dubiis benigniora sunt præferenda.* Secus in dubio, an lex sit abrogata, aut dispensata; quia tunc possessio stat pro lege.

10. *Quæst. 7.* An lex obliget in dubio, utrum advenerit, vel præterierit tempus obligationis legis? R. cum dubitas, an incœperit lex obligare, legem non teneris: sic non obligatur ad jejuniûm, dubitans, an impleverit annum 21. cum possideat libertas. Secus vero, si dubites, an desierit tempus obligationis legis, quia lex possidet. Hinc carnibus vesci nequit in die jejuniû, qui dubitat, an elapsa sit media nox; nec sacris Ordinibus initiari, qui incertus est, an expleverit annos 25. Quid in dubio, an legem impleveris? In dubio negativo teneris implere, secus in positivo. *Cardenas Illung*, alii.

11. *Quæst. 8.* An lex humana præcipere possit actus internos? R. Probabilior sententia docet, legem humanam non posse directe, & per se præcipere actus internos; indirecte tamen posse aliquando eos præcipere ob connexionem cum actibus externis. 1. pars est S. Thomæ, Cajet. Suar. quia Legislator humanus non potest cognoscere actiones mere internas, & consequenter nec de illis judicium ferre. 2. videtur certe, quia cum lex humana cogere possit ad actiones externas, obligare quoque poterit ad ea, quæ necessario cum illis sunt connexa; alias

frustra res externas præciperet. Duplici autem modo actio interna cum externa conjungitur; vel tanquam forma constituens actum externum; ut sit actus moralis virtutis; vel tanquam causa cum effectu. 1. modo requiritur consensus ad matrimonium, ad contractus, cet. 2. modo voluntas occidendi, furandi, cet. conjungitur cum homicidio, & furto; hinc qui ista prohibet, & hanc quoque prohibere intelligitur. Hinc Clericus obligatur ad resignandum Beneficium, quod recepit absque animo sese ordinandi intra annum. Cap. *Commissa* §. *Ceterum* de Elect. in 6. Si vero actus exterior non nisi ex accidenti cum interno conjungatur, non potest præcipi a lege humana; ut si præcipias, dari eleemosynam ex vera devotione.

12. *Quæst. 9.* An actus exteriores occulti possint a lege humana prohiberi? Affirmat D. Thomas: sic prohibetur sub excommunicatione hæresis externa, licet occulta, sub irregularitate homicidium occultum. Ita enim postulat bonum commune, propter quod est instituta potestas legislatoris.

13. *Quæst. 10.* Utrum subditus teneatur obedire, si dubitet, an res sit licita, necne? Sunt, qui dicant, eum nec posse, nec debere obedire, nisi prius inquirat de rei honestate. Verum S. Thomas, & melior pars TT. docet non pertinere ad subditum, inquirere de honestate rei præceptæ, proindeque teneri ad obediendum, quamdiu non constet, rem esse malam. Cæterum præcisâ hac quæstione, an subditus quærere prius debeat a peritis de honestate rei, commu-

nis est sententia DD. parendum esse Superiori, ubi certum non sit peccatum. Ita S. Bernardus, Bonavent. B. Humbertus, Ignatius a Loyola, Dionysius Carthusianus, & omnes Theologiæ mysticæ Magistri, secuti Augustinum.

14. *Quæst. ultima:* An lex obliget, quæ in præsumptione falsa fundatur? R. duplex est præsumptio, alia juris, in qua lex quærît avertere pericula, quæ facile evenire solent; alia facti, qua factum aliquod in particulari præsumitur. Jam vero lex, juris præsumptione fundata semper obligat, quia finis legis est occurrere periculis frequenter occurrentibus per legem generalem, ad quam legislator intendit omnes obligare, licet periculum forte desit incasum aliquo particulari. Sic irrita sunt matrimonia clandestina, licet nulla fraus interveniat; sic irrita sunt testamenta, solemnitate carentia, cet. At vero lex, in præsumptione facti, quæ sit falsa, innixa, non obligat in conscientia; cum non subsistat ratio præcepti, nec Superior intendat obligare. Hinc si tuum animal re vera non intulit damnum, etiam post judicis sententiam non teneris reficere, secluso scandalo. Secus vero si re ipsa licet sine tua culpa damnum intulit, tenere reficere, saltem post Judicis sententiam; quia finis legis non tam est punire culpam, damnum cavere.

CAPUT II.

Quotuplex sit lex, & præceptum, & quis
possit ferre leges.

15. *Quæst. 1.* Quomodo dividitur lex, & præceptum? R. præceptum, uti & lex, aliud est affirmans, aliud negans: illud est, quod bonum præcipit, istud, quod malum prohibet. Primum obligat semper, sed non ad semper, seu pro omni tempore: v. g. honorandi sunt parentes, non quidem, semper sed suo tempore. Negativum semper obligat, & pro omni tempore v. g. *non furtum facies*, quasi dicat: *nunquam furaberis.*

16. 2. Dividitur in *naturale*, & *positivum*. Dicitur lex naturalis, seu præceptum juris naturæ dictamen illud, menti nostræ inditum ab auctore naturæ, vi cujus cognoscimus, quid agendum sit, quid vitandum, v. g. bonum fieri oportet, malum vitari: Deus est colendus, nemini injuria fieri debet; cet. Lex positiva, seu præceptum juris positivi dicitur illud, quod a libera Dei, vel hominum voluntate dependet. Quod si a Deo impositum est, dicitur positivum Divinum; & humanum, si ab homine sit impositum. Rursus positivum Divinum dividitur in præcepta veteris, & novi Testamenti. Lex vetus continebat præcepta moralia, judicialia & cæremonialia. Lex nova continet præcepta supernaturalia fidei, & Sacramentorum. Præceptum positivum humanum, si potestate Eccle-

siastica fundetur, dicitur Juris Ecclesiastici seu Canonici; si vero a sæculari potestate ducat originem, dicitur juris Civilis, seu Politici.

17. *Quæst. 2.* Quinam possunt ferre leges? R. 1. leges Civiles ferre possunt Imperator, & Reges, alique Principes supremi, pro suis quisque ditionibus. Item Republicæ pro suis subditis, quemadmodum & Civitates ab aliena jurisdictione liberæ, & exemptæ. Aliæ vero Civitates, non nisi ex consuetudine, & permissione Principis. Possunt tamen condere statuta, quibus, veluti ex contractu quodam Civēs obligentur, sed temporaria solum, & ad nutum Principis revocanda.

18. R. 2. Leges Ecclesiasticas condere possunt 1. S. Pontifex, tanquam caput Ecclesiæ, Christi Vicarius, & Petri Successor, cui data est a Christo potestas jurisdictionis pro tota Ecclesia ex Joan. 21. *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* 2. Concilium generale, cui præsit R. Pontifex, aut ab eo saltem confirmetur. 3. Episcopi pro suis Diocæsibus. Archiepiscopi nequeunt ferre leges in Diocæsi us suffraganeis, nisi ex probata consuetudine. 4. Concilia Provincialia, & Nationalia pro suis Provinciis, Synodalia pro sua Diocæsi. 5. Abbates, & qui jurisdictionem habent quasi Episcopalem pro suis subditis. Capitula Canonicorum nequeunt leges ferre sine consensu Episcopi; posunt tamen condere statuta pro suo Capitulo. Sede autem vacante licet Capitulis ferre leges pro tota Diocæsi, cum gerant vices Episcopi; ut docetur

communiter, quæ vim habent donec ab Episcopo electo revocentur. Abbatissæ, & aliæ feminarum Superiores, utpote jurisdictionis minime capaces, non possunt ferre leges proprie dictas, sed condere possunt statuta pro ipsarum Monasteriis, quæ subditas obligent ex vi voti obedientiæ.

19. Hic nota legem humanam aliam esse *Civilem*, aliam *Ecclesiasticam*, sive *Canonicam*. Lex *Civilis* dividitur in leges imperiales, quæ dicuntur *Jus commune*, divisum in *Digestos*, *Codicem*, & *Instituta*; & in leges Regias particulares, quæ dicuntur *Jus municipale*. Lex *Canonica* quinque voluminibus comprehenditur. 1. est *Decretum Gratiani*. 2. *Decretales*: decretum citatur per causas, quæstiones, distinctiones, & canones; decretales per capitula, & titulos. 3. *Sextus Decretarium*, qui eodem modo citatur, sed additur in *sexto*. 4. *Clementina*, & *Extravagantes*. 5. *Bularium*. Hi libri continent Decreta Pontificum et Conciliorum, & sine dubio vim legis habent... His præmissis sit.

20 *Quæst.* 3. An Decretali, sive Epistolæ, Responsa, ac Declarationes Pontificiæ, non insertæ in corpore juris vim obligandi habeat? R. affirm. ex c. *Si Romanorum*. 1. dist. 10. ubi Nicolaus id expresse declarat. Adverit tamen P. Suarez, eas non obligare, nisi post, promulgationem, ut constat ex decreto S. Leonis; Papæ; citato, & confirmato in Canone supra adducto. Monet tamen sapienter Roncaglia eas quidem omnes obligare, si ex usu, & consensione universalis Ecclesiæ jam a diuturno tem-

pore habeantur pro auctenticis, ac sufficienter promulgatis.

21 *Quæst.* 4. An declarationes S. Congregationis Cardinalium vim legis habeant? Nemo unus dubitat, eas obligare in casibus particularibus, pro quibus fiunt. An vero pro similibus casibus pariter obligent, non convenit inter DD. Hæc quæstio, inquit Layman, pendet ex mente Pontificis, potestatem Cardinalibus tribuentis. Præsumi tamen potest, eas non habere vim legis, cum auctentice non promulgantur, solumque obligare ut sententias particulares illorum casuum, pro quorum decisione petuntur. Decisiones autem Rotæ minorem utique habent auctoritatem, quam declarationes S. Congregationis. Quod ad regulas Cancellariæ attinet, eas aliqui negant obligare, nisi in Curia Romana. Alii affirmant cum Mazzota, Azorio, quia sic fert praxis.

22. *Quæst.* 5. An leges Civiles obligent in conscientia? Nota, civilium legum aliæ sunt a Jure Canonico probatæ, aliæ correctæ, aliæ demum neque probatæ, neque improbatæ. Dico 1. leges Civiles, a Jure Canonico diserte approbatæ, obligant in conscientia: talis est lex Justiniani, in qua datur triennium ad experiendam conjugum impotentiam, quæ probata fuit a Coelestino III. Ita Nicol. I. approbavit leges, invalidantes matrimonium inter adoptantem, & adoptatum, atque ab hoc descendentes; item inter filios adoptantis, & adoptatum; inter adoptantem, & uxorem adoptati, & contra. Dico 2. leges Civiles, correctæ

a Jure Canonico in conscientia non obligant: talis est lex, invalidans matrimonia filiorum, invitis parentibus, correcta a Tridentino; leges aliquæ de adulteris, & aliæ. Dico. 3 leges Civiles, quæ non sint a Jure Canonico improbata, videntur ab ipso tacite approbata. Id constat ex c. 1. *de novi oper. nuntiat.* ubi legitur: *sicut leges non dedignantur sacros Canones imitari, ita & sacrorum statuta Canonum Principum Constitutionibus adjuvantur.* Idem habes in Cap. *super specula*, & in Ep. 4. Gelasii 1. ad Anastasium. Ac tandem Bened. XIV. de Synodo Dioc. docet, judicem Ecclesiasticum in quæstionibus, in quibus, de Jure Canonico nihil reperitur decisum, debere se conformare Juri Civili.

23. *Quæst.* 6. An, & quando vim legis habeat consuetudo? R. ut consuetudo, quæ dicitur lex non scripta, vim habeat legis, requiritur 1. ut introducta sit a Communitate, vel majore illius parte. 2. ut sit honesta, & utilis bono communi. III. ut sit diuturna, & continuata; nam si interrumpatur per actum aliquem contrarium a majori parte Communitatis, aut a Principe puniatur, consuetudo non præscribit. Denique ut illa inducatur cum animo obligationem inferendi. Hinc consuetudo non obligat, si a populo ex devotione tantum inducatur. Quod si forte dubitetur, an ex obligatione, vel devotione orta sit consuetudo, consulendum est 1. judicium prudentum, quorum consensus in rebus ab usu, & opinione hominum pendentibus se habet ut multitudo tes-

tium, omni exceptione majorum. 2. an res sit gravis, & difficilis; non enim solent plurimi citra motivum obligationis constanter, & diu perseverare in servanda aliqua consuetudine, quæ grave secum ferat incommodum. 3. an viri prudentes, & pii male sentiant de non servantibus consuetudinem, aut populus scandalizetur. 4. si Prælati, vel Magistratus graviter puniant eos, qui consuetudinem transgrediuntur. Ex his, aliisque adjunctis colligi potest, num consuetudo pariat obligationem. Verum in re omnino incerta, & dubia, potius censenda est non obligare, quam e contrario; cum in dubio benigne lex sit interpretanda.

24. *Quæst.* 7. Quantum temporis spatium requiritur, ut consuetudo præscribat, habeatque vim legis? Communis sententia docet, decennium in jure censi sufficiens tempus ad consuetudinem inducendam. An vero idem sufficiat tempus ad Ecclesiasticam legem abrogandam, videbimus cap. sequenti. Interim nota 1. consuetudinem, quæ justa sit, & legitima, non solum tollere legem, sed etiam poenam illius, manente culpa, vel contra. 2. posse validum reddere, contractum, alias a lege prohibitum. 3. posse inducere nova impedimenta, irritantia matrimonium. *Salmant. de Mat. c. 11.*

25. *Quæst.* 8. An lex abrogare possit, & quo modo contrariam consuetudinem? R. 1. dubium non est, eum, qui potestatem habet ferendi leges, posse contrariam tollere consue-

tudinem; quia hæc vim aliam non habet, nisi auctoritate Principis illam adprobantis, aut permittentis: poterit ergo Princeps eadem auctoritate illam reprobare. R. 2. si in lege apponatur clausula, *non obstante quacumque consuetudine*, intelligitur reprobari consuetudo præterita in contrarium, non vero futura. Quod si clausula reprobatur consuetudinem futuram, adhuc esse probabilius putant Salmant. Suarez, & alii, eam legem abrogari posse per consuetudinem. R. 3. per legem generalem non derogari consuetudine speciali alicujus loci, nisi in lege fiat mentio illius consuetudinis, vel in ea fiat mentio *cujuscumque consuetudinis*; quia præsumitur Princeps ingnarus talis consuetudinis, ut habetur in c. 1. de consuetudine in 6. Si vero Princeps certior factus de consuetudine legi contraria, velit tamen servari legem, censetur revocare consuetudinem. Hinc Episcopi legibus abrogatur contraria consuetudo, quia præsumitur plenam habere notitiam consuetudinum suæ Diocesis.

26. *Quæst. 9.* An per clausulam revocantem in genere quacumque consuetudinem, intelligatur revocari consuetudo *inmemorabilis*? Nego; nisi exprimatur; quia cum Superior vult illam revocare, id exprimit. Salmant. Suarez, Garcia, qui plures affert declarationes S. Congreg. Potest autem una consuetudo abrogari per aliam contrariam, quæ repetitis actionibus præscribatur.

27. In fine nota; cum lex est dubia, eam interpretari potest consuetudo: hæc autem inter-

pretatio vel est autentica, quæ sit veluti nova lex; vel est probabilis, cum consuetudo præcedit, vel subsequitur legem; lex enim non intelligitur derogare consuetudini antecedenti, nec consuetudo legi, nisi expresse opponantur. Et ad hanc consuetudinem probabiliter interpretandam minus tempus requiritur, quam ad præscribendam consuetudinem, quæ legi adversetur. Debet autem lex interpretari juxta loci consuetudinem, ut DD. tradunt.

Ad calcem hujus capituli affertur a Ligorio dissertatio super prop. 29. damnata ab Alex VIII. quæ asserebat: *futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis R. supra Conc. Œcum. auctoritate, atque in fidei quæstionibus decernendis infalibilitate*. Quam consulto omittimus, ut in re, quæ ad morum doctrinam non est omnino necessaria, Epitomes brevitati consulamus. *V. edit. Rom. 1767.*

CAPUT III.

De acceptance, & obligatione legis humanæ.

28. *Quæst. 1.* An lex obliget independentem ab acceptance? Certum est, peccare populum, legem justam non acceptando. Constat ex prop. 28. damnata ab Alex. VII. *populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam* Ratio est, quia etsi lex non recepta obligationem non induceret, Princeps tamen jus habet, ut subditi leges suas justas recipiat. Dubium est: an natura legis